



Ung

N-184.

Occasionia N-184.

potissim in carminibus gratul.

ubi in

W-Z

(Caspiana in alijs peregrata)

infra paginas.

184a



DECANVS  
 ORDINIS PHILOSOPHICI  
 IN  
 ACADEMIA VITEMBERGENSI,  
**IO. CHRISTOPHORVS**  
**VVICHMANNSHAUSEN,**  
 LINGVARVM ORIENTALIVM PROFESSOR.  
 PVBLICVS, SVI ORDINIS SENIOR, BIBLIOTHECAE  
 ACADEMICAЕ DIRECTOR,  
 IDEMQVE HOC TEMPORE  
 IMPERIALI AVCTORITATE CONSTITVTVS  
 COMES PALATINVS,  
 PHILOSOPHIAE AC POETICES  
**CANDIDATIS**

S. P. D.





nter omnes Orbis terrarum Academias, דביר, DEBIR, antiquissimam esse, Interpretes, & Geographi, Sacri, certatim, adnotant. Sita, autem, *Palaeestinae* haec urbs, fuit in tribu *Judae*, &, quidem, ut plerique arbitrantur, circa *Hebronem*, minus, scilicet, longe a *Galgathis*, aut, potius, minus prope ab *Austro*, ut, ita, mari ista, aliquanto, vicinior, quam *Hebron*, extiterit. CALEB, sane, capta *Hebrone*, quae urbs, prae ipsa *Aegyptiorum* TANI, septem annis, antiquior erat, proxime, ad oppugnandum *Debir*, profectus est. Imo, ipse JOSUA, posteaquam, devicto *Eglone*, Rege, contra *Hebronem* duxisset, adversus *Debir*, ut & hanc fibimet subjiceret, contendeat. Utut, autem, ceteroquin, neque plaga, neque distantia, urbis hujus, ab *Hebrone*, accurate, definiri queat, dubio, tamen, res vacare videtur, quod *Musis* domicilium eadem ista suppeditaverit, &, propter literarum culturam, prae reliquis innumeris, caput suum, sub proximis, statim, post diluvium, temporibus, insigniter, extulerit. DEBIR, enim, vox significat *ἀδύτον*, qui locus, in Templo, olim, *Sanctum Sanctorum*, *Oraculum*, quasi, aut *καλῶς ἑστῆσεν*, nuncupabatur. Ipsa istius incunabula ad oculum, insuper, commonstrant, quod a *loquendo*, sive, *eloquendo*, illa dicta, atque, adeo, *Eloquentiae*, sive, *Sapientiae*, locum, aut *Gymnasium* quoddam, stiterit, ad quod, ingenii excolendi causa, *Juventus*, potissimum, se recipere potuerit. Subsequenti aevo, antiquissimum nomen, דביר, *Debir*, in קריית ספר, KIRIATH SEPTHER, cominutatum est, quae ipsae, etiam, notiones doctrinam, proxime traditam, adprime, confirmant, posteaquam & istae nihil aliud, quam *Civitatem libri*, sive, *librorum*, aut, literarum, i. *Musarum* sedem, sive, *Academiam*, indigitant. Et, sane, ne quid reticeam, inter *Criticos*, summos, reperiuntur, qui hariolantur, quod urbs haec, eam, sigillatim, ob causam, KIRIATH SEPTHER, *Librorum*, aut *Literarum*, *Urbs*, appellata fuerit, quoniam, scilicet, praesentium Patrum veluti ARCHIVUM, aut *Tabellarium*, quoddam, fuerit, in quo multa vetustatis monumenta, post Orbis diluvium, reposita essent, siquidem in vicina *Hebrone* homines isti primi commorari, potissimum, voluerint. Praeterquam, enim, quod ipsum nomen *Debir*, locum secretissimum, & penetrale *Adytum*, pro quali *τὸ Ἀρχεῖον*, sive, *Tabellarium*, merito suo, habendum est, significet; CHALDÆUS, inprimis, suo hanc meditationem suffragio suffulcire videri poterat, quando is קריית ספר נה, קריית ספר, per קריית ארכי, *Kiriath Arche*, vertit, quae ultima notio *τὸ Ἀρχεῖον*, *Graecorum*, haud obscure, repraesentat. Utrum, vero, tertium, quod eidem huic urbi, demum, obtigit, nomen, nempe, קריית סנה, KIRIATH SENNAH, argumentum nostrum, uberius, illustret, ea, quidem, res ad liquidum, prorsus, nondum perducta est. MASIUS, & qui cum eo sentiunt, augurantur, quod litera *Samech* pro *Schin*, hac in notione, collocata, atque, adeo, eadem illius enodatio, quae istius alterius, קריית ספר, *Kiriath Sepher*, sit. Hoc, vero, fundam-

fundamento, semel, ita, praeſtruſto, ulterius, colligunt, quod, cum  
 שֵׁן דָּב, in *Deuteronomio*, &, ſigillatim, quidem, in *Capite* iſtius *ſexto*,  
 ad, literatorum hominum, diſputationes, ac diſcepraſiones, indican-  
 das, adhibetur; *Septuaginta*, inſuper, *Seniores* קִרְיַת סֵפֶר, *Kiriath*  
*Sepher*, & קִרְיַת סֵנָה, *Kiriath Sennab*, per πάλιν γραμμμάτων, *urbem li-*  
*terarum*, interpretentur, utraque denominationes *Ebraicae*, qua rem  
 ipſam, etiam, acutiſſime, conſpirent. Diſſentit, autem, a *Mafſo*, & hu-  
 jus affleſſis, quadantenus, HILLERUS, in *Onomaſtico Sacro*, quando  
 docet, quod שֵׁן דָּב, neque, in *Sacris literis*, neque, apud profanos, et-  
 iam, Doctores, diſputandi artem, ac peritiam, ſuppeditet, ſed in ipſo  
 allegato, quoque, loco, idem ſit, ac ſedulo inculcare, & animis alte ali-  
 quid inſigere, verbaque, aculeis, & clavis, fixis, ſimilia, i. leſiſſima,  
 injungere. Conjicit, itaque, VIR CL. quod, סֵנָה, conjugatum, po-  
 tius, ſit verbi ſui, סֵפֶר, *repurgare*, & quod, ipſum, סֵפֶר, *Sepher*, verbi  
*Arabici*, سَفَر, *Saphara*, cui *purgandi*, ac *ſeparandi*, vis eſt, literas ſub-  
 miniſtret, atque, ita קִרְיַת סֵנָה, *Kiriath Sennab*, (maxime, cum דֵּבִיר, *De-*  
*bir*, etiam, *Adytum*, vel, *Sacrarium*, ſive, iſtiusmodi locum, a quo pro-  
 cul diſtant profani, exhibeat) Civitatem, quaſi, quae, ejeſtis purga-  
 mentis ſuis, propter incorruptos Civium mores, cum ſecretioribus,  
 aedium ſacrarum, partibus comparari, deinceps, commode potuerit,  
 inſinuet. At enim vero, cum diverſa, שֵׁן דָּב, in medium propoſita,  
 interpretatio ita informata ſit, ut una alteram non evertat, ſed utra-  
 que, potius, negotium, cui expediendo immoramur, non parum, il-  
 luſtret; ipſum, quoque, סֵנָה, *ſpina*, acutarum, & ſpinofarum, diſcepra-  
 tionum, quales, in *Academiis*, inſtitui ſolent, ſymbolum, ſic fa-  
 tis evidens, ſit; *Muſaeque*, inſuper, ut vulgare habet proverbium,  
 munditiam ament; nil quicquam, ſi conjecturis locus relin-  
 quendus eſt, obtare videretur, amplius, quo minus urbs, דֵּבִיר, *DEBIR*,  
 quae, poſteriori aevo, per קִרְיַת סֵפֶר *Kiriath Sepher*, & קִרְיַת סֵנָה, *Kiriath*  
*Sennab*, incolis, *Palaeſtinae*, innotuit, pro *Academia*, & *Muſarum ſede*,  
 poſt diluvium, prima, habenda ſit. Utrum, vero, OTHNIEL, cui,  
 in praecium, expugnatae urbis hujus, *Calebi* filia, in uxorem, ceſſit, le-  
 gis doctrinam, jam tum exoleſcentem, poſt *Mofis* exceſſum, ingenium,  
 ſui acumine, ibidem inſtauraverit, atque, adeo, hujus inſtituti intui-  
 tu, *Cariath Sepher* nuncupata iſta fuerit, illud in medio relinquo, &  
 potius, aſſevero, quod, cum *Sacerdotalis*, & *Levitarum*, urbs, in di-  
 ſtributione TERRÆ, illa, demum, evaſerit, vero, admodum, ſimile ſit,  
 quod legis diviniſ, & literatum reliquarum, ſtudia, in eadem, in-  
 primis, pertractata, atque exulta, fuerint. Sed, ut THECUA, quam  
 ſapiens mulier, *Thecutis*, MATREM in *Iſraele* vocat; THEMAM,  
 item, apud *Idumaeos*, ex qua ELIPHAS, *Themianites*, amicus *Jobi*,  
 prodiit, & unde *Themantici Saphi*, & Sapientes, apud, BARUCHUM,  
 ſpeciatiim, concelebrantur, dudum, diſparuerunt; Ita DEBIR, quo-  
 que, ALEXANDRIÆ, in *Egypto*, ATHENARUM, in *Graecia*, & innumerorum aliorum locorum, inſtar, in quibus ſcientiarum,  
 & artium, liberalium, cultura florebat, priſtinum decus, atque digni-  
 tatem,

ratem, imo, omnem, propemodum, sui memoriam, dudum, tot ab hinc  
seculis, prorsus, amisit, suoque, ita, exemplo, documentum, maxi-  
mopere deplorandum, posteritati ultimae reliquit. Haec dum pie  
meditor, mirari, ac depraedicare, satis non possum, immensam NU-  
MINIS, *indulgentissimi*, benignitatem, per quam non elegantiores, fo-  
lummodo, & ad humanitatem ipectantes, sed diviniore, inprimis, eae-  
demque puriores, literae, factae, atque rectae, in celeberrimis, non  
paucis, *Europae* partibus, in hanc usque diem, conservantur, *Docen-  
tesque*, pariter, ac *Discentes*, ad munia sua, alacri cum animo, impi-  
gre, subeunda, magis, magisque, inflammantur. Durat, enim, huc-  
dum, labori, ac vigiliis, debitus suus honor, nec artium liberalium  
Cultoribus amplissima praemia desunt, quae, ut institutum, strenue,  
urgeant, calcaria istis addere, & saluberrima, ad divini nominis glo-  
riae, & proximi commodorum, amplificationem, directa consilia, ad  
exoptatissimum, tandem, scopum perducere possunt. Perstat, inpri-  
mis, sub sapientissimo *Potentissimi*, & *Augustissimi*, FRIDERICI AU-  
GUSTI, PATRIÆ PATRIS, ac NUTRITORIS Nostri, mode-  
ramine, haec Nostra, quoque, KIRIATH SEIPHER, *Librorum*, atque,  
*Literarum*, tam sacrarum, quam, etiam, civilium, *sedes*, atque cultus  
fidissimus; Expoliuntur in ea, tanquam in DEBIR quadam, *Eloquenti-  
ae*, & reliqua, arctiori, cum eadem, nexu, conjuncta, studia; quibus &  
universum, merito suo, *Philosophiae* adparatum, insuper, adficiamus,  
cum & KIRIATH SENNAH, *Civitas acuminis*, ista sit, in qua, ingenii  
acuendi, & veritatis eruendae, causa, disceptationes variae, certatim,  
instituantur, doctrinaeque sublimes, a Veteribus traditae, indefesso  
animorum molimine, investigantur; imo, majora, indies, incrementa  
nanciscuntur. Promovent, autem, hos conatus, insigniter, brabea  
ista, quae, statim temporibus, ex *Majorum* more, bene merentibus, ita,  
distribuantur, ut, laudatissimis, optime certantium, exemplis, invitati  
alii, gressu alacriori, in studiis eruditis, impigre, procedant, & ad me-  
tam, rebus suis praefixam, citatis, quasi, passibus, contendant. Ego,  
itaque, Imperiali auctoritate, nunc constitutus *Comes Palatinus*, & *Or-  
dinis Philosophorum*, quintum, *Decurio*, *Lauream*, non, *Magisterialem*, so-  
lummodo, sed &, *Poeticam*, Omnibus, atque singulis, qui in liberalium  
doctrinarum palaestra, jugiter, & cum laude, defudarunt, denuo, jam  
nunc, propono, amiceque eos, qui, modeste, istam ambiunt, insimul,  
admoneo, ut nomina sua, tempestive, apud me profiteantur, prae-  
miendus virtuti, ac industriae, debita, in publico PATRUM, pridie  
*Calendae Majas*, indicto, confessu, capebant, atque, ita, tandem ali-  
quando, exoptatos, studiorum, & laborum, exantlatorum, fructus  
percipiant. Quod restat, seriis, NUMEN *sanctissimum* posco preci-  
bus, ut, quicquid hujus rei suscipiendum erit, faustum, fortunatumque,  
& ACADEMIÆ salutare, esse jubeat. P. P. ipsis *Epiphanorum* so-  
lemnibus, Anno Salutis, per CHRISTUM, reparatae,

M D C C X X I


Ung. VI 184

NO 18  
NO 18





1711  
83



ECANVS  
S PHILOSOPHICI  
IN  
A VITEMBERGENSI,  
**ISTOPHORVS**  
MANNSHAVSEN,  
ORIENTALIVM PROFESSOR.  
ORDINIS SENIOR, BIBLIOTHECAE  
DOMINICAE DIRECTOR,  
ET  
ET EMQVE HOC TEMPORE  
CENSURAE TORITATE CONSTITVTVS  
CENSURAE PALATINVS,  
CENSURAE HIAE AC POETICES  
CENSURAE NDIDATIS  
S. P. D.